

requirat de forma seu valore matrimonii, utique etiam voluit, ut formaliter & specificè præsentés sint, id est, rogati vel moniti, quatenus de matrimonio, hic & nunc contracto, testimonium perhibeant: cæteroque non tam per accidens, quam per se & ordinariè posset contingere, ut, qui tantum casu in loco tempore contractus matrimonialis commorantur, de iis, quæ gesta sunt, testificari nequeant: cui malo utique Tridenti-

num obviare volens non potuit non testium rogationem vel admonitionem efflagitare. Ut proinde paritas non de aliis negotiis, sed de testamento, vel ex eo melius huc applicetur, quòd, sicut ibidem testes, cum sint de forma testamenti, rogari vel admoneri debeant, pariformiter ad matrimonium, pro cuius forma & solennitate desiderantur, aut rogati veniant, aut præsentés admonentur, necessum videatur.



SUPPLEMENTUM AD LIB. V. DECRETALIAM. TRACTATUS I. DE DELICTIS IN GENERE.

CAPUT I. De Natura & Varietate Delicti.

SUMMARIA.

1. & seq. Non omne factum turpe refertur inter delicta secundum aliquos. 3. Aliud vide-

tur esse de Jure Canonico. 4. & seq. Explantur, an & in quo sensu conatus in delictum incidat.

QUÆSTIO I.

An omne factum turpe inter delicta referatur?

Huberus ad tit. ff. de Delict. privat. num. 2. sentit, omne quidem, quod turpe est, esse necessarium & injustum; opus tamen esse Legis sanctione, ut factum aliquod pro delicto in civitate habeatur: nam delicti æstimatione civilis dependet à pœna l. sanctio 41. ff. de Pœn. & sicut non omne, quod honestati congruit, à Legibus tanquam necessarium præcipitur; ita nec omne, quod turpitudinem sapit, punitur. Eiusdem serè mentis cum Ludovico de Ameno in tract. de Delict. tit. 1. §. 2. num. 16. est Dominicus Ursaga in Institut. criminal. lib. 1. tit. 1. num. 2. ubi delictum describit, quòd sit commissio facta dolo, contra Legem vigentem, & aliquid im-

perantem seu prohibentem sub pœna; & in num. 7. circa finem observat, delictum à peccato differre per hoc, quòd peccatum Divinam tantum ultionem expectet, delictum autem, accusatione & damnatione dignissimum, etiam in foro humano vindicetur in cap. Apostolus 1. Dist. 81. Quia verò in foro Canonico Ecclesia iudicat de omni peccato cap. novit 13. de Judic. potest etiam in hoc sensu omne peccatum in eodem foro delictum censerit, non quidem ut contra illud semper procedatur per viam inquisitionis aut accusationis, sed per viam denuntiationis seu Evangelicæ, seu Canonice. Vid. Ludov. de Ameno cit. tit. 1. §. 2. num. 49.

QUÆSTIO II.

An conatus ad delictum in pœnam incidat?

Delictis in hoc cap. à num. 29. circa hanc materiam addi potest, quod tradit Huberus cit. l. num. 4. Delicta in perfecta, quæ ad plenitudinem suam non pervenerunt, in univèrsam non eadem severitate, sed mitius pu-

niri, quidquid Cæsares in l. quisquis §. in pr. Cod. ad L. Jul. Majest. dicant, Jura voluerunt l. 3. ff. de his, qui not. infam. l. 1. in pr. & §. ult. ff. de Extraord. crim. l. 21. §. 7. ff. de Furt. l. 16. §. 8. ff. de Pœn. Idque ratio suadet omnino,

nò respectu imbecillitatis humanæ, quâ primi motus ira non sunt in potestate, ut eorum actus eodem rigore, quòd perpetrata facinora, excipi debeant. Aliquando delictum imperfectum penitus transmittitur, ut in crimine falsi, quando quis scripsit falsum testamentum, quod tamen non est signatum l. 6. in pr. ff. ad L. Cornel. de Falsi. quod etiam in levioribus flagitiis servatur d. l. 3. qui not. infam. Quòd si factum sive corpus deli-

cti sit impletum, etsi effectum extra se non habuerit, idèd non desinit perfectum esse delictum, ut, si falsum sit scriptum, signatumque, sed nihil exinde petitur aut exactum d. l. 6. in pr. Denique fit etiam, ut in perfecta facinora pœnis ordinariis subjiciantur, ut in Lege Cornelia de sicariis de eo, qui cum telo ambulaverit hominis occidendi furtive faciendi gratiâ, constitutum l. Lege 1. in pr. ff. ad L. Cornel. de Sicar.

CAPUT II.

De Personis delinquentibus.

Vacat.

CAPUT III.

De Effectu & Pœnis Delicti.

SUMMARIA.

1. & seqq. Recensentur causæ, augendi pœnam. 4. & seqq. Causæ mitigandi. 7. Causæ remittendi. 8. Vicarius Generalis vi officii non potest ferre censuram. 9. Formatur electio. 10. Reformatur. 11. & seq. Agitur de excommunicatione ex Jure. 13. Recensentur excommunicationes reservata contra omnes. 14. Contra Clericos. 15. Contra Regulares. 16. Contra personas publicas. 17. Enumerantur excommunicationes reservata ex Bul-

la Cæna. 18. Adstruuntur non-reservata contra omnes. 19. Contra Clericos. 20. Contra Religiosos. 21. Contra Episcopos & Nuntios. 22. Contra Dominos Temporales. 23. Contra Magistratus & Judices. 24. Expununtur suspensiones contra Clericos. 25. Contra Episcopos. 26. Contra Capitula. 27. Contra Religiosos. 28. Explantur interdicta personalia specialia. 29. Personalia generalia. 30. Localia.

QUÆSTIO I.

Quænam sint causæ augendi, mitigandi, vel remittendi pœnam.

Actum de singulis in hoc cap. sct. 1. §. 3. 4. & 5. Hic tamen ex Ursaga in Institut. criminal. lib. 4. tit. 7. num. 3. & seqq. quoad augmentum pœnarum annexendum I. causas augendi pœnas reduci ad duas, vel ad consuetudinem delinquenti, vel ad frequentiam delictorum. De frequentia dictum in 2. cit. hoc cap. num. 60. & seqq. Consuetudo delinquendi, cum magis deliberatum animum & iniquiorem voluntatem arguat, graviores quoque pœnam meretur per l. capitulum 28. §. 3. & 10. ff. de Pœn. & l. nemo 3. Cod. de Episcopali audient. exceptò ab aliquibus crimine blasphemie, in quo pœnam minuentem putant, vel quia, si omnes blasphemiferè punirentur, pauci superessent; vel quia adest defectus religionis & justitiæ. Addatur Ameno d. tit. 1. §. 4. num. 15. II. Causas minuendi ab eodem Authore num. 7. & seqq. statui duas, generales scilicet, quæ per omnia delicta vagatur, uti v. g. est ignorantia, vis, & metus; & specialium, quæ desumitur à circumstantiis personarum, temporum, & similium: quorsum ille reducit amentiam doli; credulitatem & opinionem-

exclusivam delicti; iracundiam; ætatem; ebrietatem; loci consuetudinem; multitudinem certorum aut incertorum delinquentium; senis fragilitatem; rusticitatem seu simplicitatem delinquentis; præstantiam & nobilitatem personæ; insignem illius peritiam; mutationem status & religionis post delictum; constitutionem proprii filii in carcere; diuturnitatem temporis à die commissi delicti; numerum liberorum; spontaneam confessionem; meritorum excellentiam. Quæ tamen omnes causæ, nisi fallor, potius generales sunt, atque omnibus delictis communes; licet non omnibus delinquentibus suffragentur. Jungatur Ameno d. l. num. 16.

III. Remissionem pœnæ nemini licet, præter supremum Principem, & cui is vis, ut vocant, aggratiandi concessit; debereque concurrere justam causam, qualem Ursaga d. lib. 4. cap. 8. num. 16. existimat esse, si Princeps habeat singularem cognitionem & dilectionem erga reum, ortam non ex affectu carnali, sed à virtute & aliis qualitatibus.

QUÆSTIO II.

Quis possit censuram ferre?

8 Numerati sunt Prælati Ecclesiastici in hoc cap. à num. 94. potestate ferendi censuram præditi; & in num. 99. exceptus est Vicarius Episcopi propter textum expressum in cap. licet 2. de Off. Vic. in 6. ubi, cum Vicario negatur potestas inquirendi, corrigendi, aut puniendi aliquorum excessus, æquè & magis principaliter erit negata potestas censurandi, quæ non qualemunque excessum, sed gravem & notabilem prærequirit ex hoc eod. cap. num. 124. Nec ullum scrupulum movet explicatio, quam habet P. Pichler ad tit. de Sent. excommunicat. num. 5. quasi memoratus textus in verbis subsequentiis, seu aliquos à suis beneficiis, of-

ficiis, aut administrationibus removendi, seipsum declaret, & per particulam identitatis seu iudicet, quod potestas corrigendi per privationem beneficiorum negetur Vicario Generali, non alia. Pridem namque hæc explicatio fuit rejecta à Joanne Andrea apud Passerinum in Comment. ad tit. cap. num. 14. quia particula seu potius diversitatem quam identitatem importat, præsertim in d. cap. ubi Bonifacius VIII. indefinitè loquitur de excessibus, & facultatem puniendi non tantum genericè sed etiam specificè adimit Vicario, aded ut neminem quoque à suo beneficio, officio, vel administratione remove valeat.

QUÆSTIO III.

Quales in Jure & Bullis Pontificiis reperiantur excommunicationes?

11 Excommunicationes, quæ sunt latæ & comprehensæ in Corpore Juris Communis aut Bullis Pontificiis pene multæ reperiantur; à quarum tamen incurfu sæpissimè excusat vel interdictum ignorantia, vel consuetudo contraria, per quam nunquam in usum deductæ, aut ulu contrario fuerunt abrogatæ. Non pigebit tamen singulos, prout à Francisco Monacelli in *Formulari Legali pract. p. 3. in præud. à num. 12.* sunt collectæ, recensere cum distinctione inter casus, qui Pontifici reservati, & alios, qui reservati non sunt.

12 Casus excommunicationis reservatæ enumerantur sequentes; & quidem

Contra Omnes.

Percutientes Clericum, vel Monachum. cap. si quis suadente XVII. q. 4.
Falsarios Literarum Apostolicarum cap. ad falsarios 7. de Crim. fals.
Habentes Literas Apostolicas falsas & illas non destruentes cap. dura 4. eod. tit.
Incendarios, à Judice excommunicatos, & denunciatos cap. tua nos 19. de Sent. excomm.
Sacrilogos effractores Ecclesiarum cap. conquisiti 22. d. 2.
Communicantes in crimine cum excommunicatis à Papa cap. nuper 29. eod. tit.
Eligentes potentia insignem in Senatorem Romanum absque Sedis Apostolicæ licentia, cap. fundamenta 17. de Elect. in 6.
Vexantes eos, qui censuram in aliquos tulerunt. cap. quicumque 11. de Sent. excomm. in 6.
Absolutos ab excommunicatione sub conditione, & non implentes. cap. eos qui 22. d. 1. in 6.
Offendentes Cardinales cap. felicitis 5. de Pan. in 6.
Exigentes tributa à personis Ecclesiasticis cap. Clericis 3. de Immunit. Eccles. in 6.
Violantes interdictum modis prohibitis in Clementina Gravis 2. de Sent. excomm.

Falsificantes monetam Regis Galliæ. Extravag. Joann. XXII. Prædians de Crim. fals.

Exenterantes corpora defunctorum. Extravag. desestabilis 1. de Sepul. inter commun.

Violantes interdictum Sedis Apostolicæ. Extravag. Et si 5. de Penitent. & remiss. inter commun.

Conspirantes in personam Romani Pontificis. ibidem.

Dantes, & recipientes ob ingressum Religionis Extravag. sanè 1. de Simon. inter commun.

Simoniacos in ordine, & beneficio Extravag. ult. eod. tit.

Taxantes opinionem de Immaculata Conceptione Beatæ Mariæ Virginis Extravag. Gravis 2. de Reliq. & venerat. sanct. inter commun.

Dantes, & recipientes pro gratia, aut iustitia apud Sedem Apostolicam Extravag. excommunicamus 1. de Sent. excomm. inter comun.

Bulla Bonifacii VIII. 1. & Greg. XIII. 24.

Offendentes Rectores, seu Præsides Provinciæ Marchiæ Anconitanæ Extravag. nu. Joann. XXII. de Pan.

Occupantes bona Cardinalium tempore Conclavis. Bulla 16. Leonis X.

Mentientes personas in Literis Apostolicis, ut earum expeditionem gratis assequantur. Bulla Leonis X. 27.

Impedientes executionem literarum Sac. Pœnitentiariæ. Bulla Julii III. 1.

Simulantes, & supponentes se alios esse pro obtinendis Beneficiis à Dataria. Bulla 12. Pauli IV.

Committentes duellum, & illud consulentes. Concil. Trident. cap. 19. Sess. 25. de Refor. Bulla Clement. VIII. 11. illius vices.

Mittentes Litteras, aut Nuntium in Conclavi, vel inde recipientes. Bulla Pii IV. 63.

Occupantes bona Ecclesiarum, Montium, Pietatis, seu alterius Loci Pii: vel impedi-

tes ne ab iis ad quos jure pertinent percipiuntur Concil. Trid. cap. 11. Sess. 22. de Refor.

Consentientes usurpationibus bonorum

Ecclesiarum. Concil. Trid. Cap. XI. Sess. 22. de Refor.

Quales in Jure & Bullis Pontificiis reperiantur excomm. 231

Fœminas ingredientes Clausuram Monasteriorum Regularium. Bulla Pii V. 20.

Fœminas, sive masculos ingredientes septa Monasteriorum Monialium prætextu Licentiarum in casibus non necessariis. Greg. XIII. Bulla 28.

Suadentes Papæ, ut alienet vel infeudet Loca Status Ecclesiæ. Bulla Pii V. 35.

Cipientes, & retinentes Christianos habitantes inter Turcas, & illos bona diripientes, aut remigare cogentes. Bulla Pii V. 149.

Non revelantes conspiratores, & insidiatores contra Cardinales. Bulla ejusd. Pontificis 93.

Publicantes Indulgentias, & facultatem dantes eligendi Confessores iis, qui aliquid solvunt. Bulla ejusd. Pontif. 99.

Accipientes, & retinentes fructus beneficii vacantis, vel impediens beneficii possessionem non solventibus dulciaria, sive aliam solutionem. Bulla ejusd. Pontific. 104.

Facientes jurare illicita, & contraria libertati Ecclesiasticæ. Bulla Greg. XIII. 93.

Diripientes animalia, & bona, vel illa furto ablata ementes ex Statu Ecclesiastico. Bulla ejusd. Pontif. 98.

Violantes immunitatem Ecclesiarum. Bulla Greg. XIV. 7.

Docentes, posse fieri Confessionem Sacramentalem in absentia per literas. Bulla Clement. VIII. 87.

Extrahentes frumentum, blada, legumina, & oleum extra Statum Ecclesiasticum sine licentia. Paulus V. Bulla 12.

Docentes, aut defendentes etiam disputativè opiniones damnatas. Decreta S. Congreg. S. Officii annis 1665. 1666. 1679. & 1690. emanata.

Contra Clericos.

14 Participantes in Divinis cum excommunicato à Papa cap. significavit 18. de Sent. excomm.

Inducentes ad jurandum de eligenda, vel de electa non immutanda sepultura in eorum Ecclesiis. Clement. ult. s. sanè de Pen.

Commissarios, seu delegatos, interponentes Decretum per gratiam, aut timorem, vel sortes, in alienatione bonorum Ecclesiæ, aut per alios fieri alienationem dolosè procurantes Bulla 2. Pauli II.

Prædicatores, non servantes Decreta pro eis lata in Concilio Lateranen. Bulla Leonis X. 21.

Retinentes beneficia in confidentiam. Bulla Pii IV. 85. Romanam Pontificem, Bulla Pii V. 85.

Absolventes sub prætextu privilegiorum à casibus Bullæ Cœnæ, vel ordinariis reservatis. Decretum S. Congr. Episc. & Regular. à Clement. VIII. approbatum anno 1601. apud Piasce. prax. part. 2. cap. 1. art. 3. de Cas. Episc. reserv. num. 1.

Trahentes personas Ecclesiasticas ad forum laicale. Bulla Martini V. 10.

Consentientes usurpationibus bonorum

Ecclesiarum. Concil. Trid. Cap. XI. Sess. 22. de Refor.

Administrantes Sacramenta extremæ Un-

ctionis, & Eucharistiæ infirmis, vel matrimonialibus sine licentia Parochi. Clem. Religiosis 1. de Privileg.

Absolventes sub prætextu privilegiorum à casibus Bullæ Cœnæ, vel ordinariis reservatis. Decretum Clem. VIII. ut supra.

Euntes ultra mare sine licentia Superiorum. Extravag. ult. de Regular. inter commun.

Mendicantes transeuntes ad non mendicantes. Extravag. viam 1. ibid.

Moniales, exeuntes de Clausura absque licentia. Bulla Pii V. 8.

Superiores, non denuntiantes Religiosos, qui sunt suspecti de hæresi, inquisitoribus, vel ordinariis locorum. Bulla Pauli V. 26.

Minores de observantia, subornantes vota in electionibus. Bulla Pii V. 128.

Claustales, recipientes minimos sine licentia Papæ, Bulla Julii II. virtute conspicuus extra Bullarium.

Tertiarios, portantes habitum minorum. Bulla Leonis X. Licet alias, extra Bullarium.

Minores admittentes in eorum Ecclesiis tempore interdicti ad Divina, Fratres & Sorores Tertii Ordinis. Clem. cum ex eo 3. de Sent. excomm.

Clericos Regulares Societatis JESU, discendentes sine licentia à Societate, etiam si prætextu melioris frugis transeant ad alium Ordinem (exceptis Cartusianis) Bulla Gregorii XIII. 89.

Clericos Regulares Congregationis de So-

mascha, transeuntes ad arctiorem sine licentia Superioris (exceptis Capucinis, & Cartusianis) illorumque receptores. Sixtus V. Bulla 4.

Inducentes ad jurandum de eligenda, vel de electa non mutanda sepultura in eorum Ecclesiis. Clem. ult. s. sanè de Pen.

Contra Personas Publicas.

Prælatos vexantes censuris commorantes in servicio Papæ. Extravag. Divina 3. de Privileg. inter commun.

Cardinales, contravenientes in electione Pontificis. Bulla Julii II. 3.

Cardinales, revelantes ea; de quibus Papa eis silentium indixit. Bulla Leonis X. 7. s. 31.

Episcopos, qui conferunt beneficia contra præscriptum Bullæ Pii V. in eorum manibus resignata. Bulla 58.

Cardinales, ambientes Papatum, & Simoniacos ejus causa. Pauli IV. Bulla 16.

Cardinales Simoniacos in beneficiis. Bulla Pii V. 85.

Judices, Officiales Laicos, ac Prælatos Ecclesiasticos, trahentes personas Ecclesiasticas ad forum laicale. Bulla Martini V. 10.

Dominos temporales, qui in terris eorum suppositis interdicto, cogunt celebrare, & audire

dire Divina Officia. *Clem. Grævis 2. de Sentsent. excommuni.*

Officiales, ac Dominos temporales, bannientes, seu facientes, & mandantes banniri, personas Ecclesiasticas. *Bulla Urbani VI. 3.*

Officiales, Judices, & Dominos temporales, percutientes, vel bannientes Episcopos, vel hæc mandantes, aut facta ab aliis ratificantes. *Clem. si quis I. de Pen.*

Principes, & Dominos temporales, concedentes locum, vel permittentes duellum in terris suis. *Concil. Trid. Sess. 25. de Reform. cap. 19. Bulla Clem. VIII. 11.*

Episcops, & Inquisitores, eorumque substitutos, qui faciendo, vel omittendo contra diffamatos de hæresi, delinquant in Officio. *Clem. multorum 1. §. Verum de Hæres.*

Officiales, & Ministros Cameræ Apostolicæ, non reddentes integra computa. *Bulla Pauli III. 40*

Officiales Pœnitentiariæ, recipientes pro expeditionibus aliquid, etiam sponte oblatum à partibus. *Bulla Pii V. 83.*

Gubernatores civitatum, & locorum Statûs Ecclesiastici, recipientes munera, præter comestibilia. *Bulla Pauli II. 3.*

17 Hisce excommunicationibus reservatis, ex Bulla Cœnæ subnectuntur aliæ, prout sequitur.

Contra Hæreticos, eorumque credentes, & Fautores, ac Schismaticos, item eos, qui legunt, retinent, imprimunt, aut defendunt libros Hæreticorum, de Religione tractantes, vel Hæresim continentes.

Contra eos, qui appellant à Pontifice ad futurum Concilium.

Contra Piratas in mari Romano, eorumque fautores.

Contra eos, qui furripiunt bona naufragiorum.

Qui ponunt, augent, exigunt nova & injusta tributa, pedagia, & gabellas.

Qui falsificant Literas Apostolicas.

Qui deferunt equos, arma, aliaque instrumenta, vñibus Bellicis idonea, ad Turcas, aliosque infideles: item qui eis (etiam Hæreticis non toleratis) nuntiant statum Reipublicæ Christianæ in hujus perniciem, aut alio modo consilium, auxilium, favorem præstant.

Qui impediunt, ne Curia Romanæ victualia, aliaque necessaria deferantur.

Qui vulnerant, detinent, deprædantur &c. accedentes, vel recedentes à Romana Sede, vel in Curia Romana commorantes.

Qui vulnerant, detinent, spoliunt &c. Romipetas, & peregrinos, accedentes ad urbem, vel ibi commorantes, aut ab ea recedentes.

Qui vulnerant, percutiunt &c. Cardinales, vel alios Prælatos & Legatos Sedis Apostolicæ.

Qui percutiunt, spoliunt &c. recurrentes ad Romanam Curiam pro suis negotiis.

Qui à gravamine, & executione literarum Apostolicarum frivole appellant, aut alias ad Curias Sæculares recurrunt, vel accedentes,

ad Romanam Curiam pro expeditione negotiorum & gratiarum impediunt.

Qui cautas à Judicibus Ecclesiasticis avocant, vel eorum cursum, & executionem literarum Apostolicarum impediunt.

Qui trahunt, vel trahi curant personas Ecclesiasticas ad sæculare tribunal, item qui condunt quovis modo vel quæsitò colore statuta, libertati Ecclesiasticæ repugnantia, aut iisdem utuntur

Qui impediunt, ne Prælati Ecclesiastici sua jurisdictione utantur.

Qui sine legitima Superiorum licentia usurpant, vel sequestrant redditus, fructus, & proventus ad Pontificem, vel alias personas Ecclesiasticas pertinentes.

Qui imponunt decimas, collectas, aut alia onera personis Ecclesiasticis.

Judices sæculares, qui in causis capitalibus, seu criminalibus Clericorum se interponunt.

Qui occupant bona, aut terras Ecclesiæ Romanæ, vel supremam ejus jurisdictionem usurpant.

Excommunicationes porrò, quæ nemini 18 reservatæ reperiuntur, sunt

Contra Omnes.

Magistros, & Scholares Bononiæ, conducentes domos alterius Scholastici, vel Doctoris ante tempus conductionis elapsam *cap. ex rescripto 1. de Locato.*

Habentes ratas Ordinum, & Beneficiorum collationes, factas à Schismaticis *cap. quod à prædecessore 1. de Schismat.*

Vexantes, & gravantes Ecclesiasticos, vel eorum Consanguineos, ex quo eum, pro quo rogabantur, non elegerint *cap. sicut 12. de Elect. in 6.*

Occupantes, & usurpantes prætextu defensionis, bona Ecclesiæ vacantis, vel titulo regalitatis *cap. generali 13. eod. in 6. nisi in fundatione consensu Diocessani statutum esset, ut fructus ipsius Ecclesiæ, cum vacabit, Patronus seu fundator faciat tuos: nam hoc sibi reservare potest per vic. cap. generali ubi Gloss. verb. fundatione.*

Præsidentes, & Directores Monialium, ponentes, vel nutriendes discordias in electione *cap. indemnitatibus 43. Postremo d. t. in 6.*

Procurantes, ut Conservatores Regulæ se intromittant in aliis causis, quam in manifestis injuriis, & violentiis *cap. fin. de Offic. deleg. in 6.*

Extorquentes revocationem, vel absolutionem à censuris per vim, & metum *cap. unde his qua vi met. caus. in 6.*

Judices, accedentes ex causa ficta ad mulieres pro excipiendo testimonio *cap. mulieres 2. de Judic. in 6.*

Laicos compellentes Ecclesiasticos, ut sibi submittant jura Ecclesiæ *cap. ult. de Reb. Eccl. non alien. in 6.*

Exigentes pedagiam &c. ab Ecclesiasticis personis *cap. quamquam 4. de Conf. in 6.*

Do-

Doctores, sive Magistros, qui docent Leges vel medicinam Religiosos, habitu suo dimisso studentes. *cap. ut periculosa 2. no Clerici vel Monachi in 6.*

Sepelientes in loco Sacro scienter hæreticos *cap. quicumque 2. in pr. de Hæres. in 6.*

Mandantes interfici Christianum per Assassinos *cap. pro humani 1. de Homic. in 6.*

Concedentes represalias, vel concessas extendentes contra Ecclesiasticos *cap. unico de Injur. in 6.*

Impedientes sequestrum, factum ab Ordinario super beneficio, vel fructus occupantes *Clem. unic. de Sequestr. possess.*

Sepelientes scienter in loco religioso tempore interdicti, nominatim interdictos, publice excommunicatos, aut usurarios manifestos *Clem. eos qui 1. de Sepult.*

Impedientes Visitatores Monialium *Clem. attendentes 2. de Stat. Monach.*

Contrahentes scienter matrimonium in gradu consanguinitatis, vel affinitatis prohibito, vel cum Moniali. *Clem. unica de Consang.*

Impugnantes literas Papæ, non coronati, *Extravag. ult. de Sents. excomm. inter commun.*

Imprimentes libros absque licentia Superiorum. *Bulla 12. Leonis X.*

Edentes glossas, & Scholia in Tridentinum Concilium. *Bulla Pii IV. 13.*

Afferentes, non esse necessariam Confessionem Sacramentalem ante susceptionem Eucharistiæ illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, habitâ copiâ confessoris. *Concil. Trid. Sess. 13. de Sac. Eucharist. can. 11.*

Raptores Mulierum, & fautores. Idem Concil. *Sess. 24. de Reformas. matrim. cap. 6.*

Cogentes, vel impediendo foeminas ingredi Monasteria. Idem Concil. *Sess. 25. de Regul. cap. 18.*

Offendentes, & vexantes personas, res, & Officiales Sancti Officii. *Bulla Pii V. 82.*

Pingentes, decorantes, miniò, auro, vel colore tingentes Agnos DEI, per Romanum Pontificem benedictos. *Bulla 2. Greg. XIII.*

Non denuntiantes S. Officio, vel Ordinario hæreticos, magos, sortilegos, & alios, utentes rebus, & characteribus, continentibus pactum expressum, vel tacitum cum demone. *Edictum S. Officii.*

Non denuntiantes eos, quos audiverunt blasphemare hæreticaliter, DEUM, Beatam Virginem, & Sanctos. Idem Edictum.

Contra Clericos.

19 **S**E ingerentes in alterius Episcopatu, priusquam à proprio Episcopo adsciscantur. *cap. quoniam 14. de Offic. Ordin.*

Audientes physicam, aut Leges, si sint Sacerdotes, vel personatus habentes. *cap. fin. no Cleric. vel Monachi.*

Sacerdotes, suscipientes officium Vice-comitis aut Præpositi Sæcularis, & non desistentes ab illo post monitionem *cap. Clerici 5. eod. tit.*

Procurantes, ut alii occupent jura, & bona Ecclesiarum vacantium, *cap. generali 13. de P. Schmier Supplem. Jurispr. Canonico-Civili.*

Elect. in 6. sed hæc censura, quæ reperitur innovata in Concil. Trid. *Sess. 21. de Reformas. cap. 11.* est summo Pontifici reservata.

Contrahentes matrimonium, si sint in Sacris. *Clem. unic. de Consanguin.*

Alienantes bona Ecclesiarum, vel locantes ultra biennium, *Extravag. ambitiosa, de Reb. Eccl. non alien. inter commun.* Verum hæc quoque censura videtur comprehensa in d. Decreto Concilii, ideòque hodie Papæ reservata.

Fictè resignantes, vel permutantes beneficia. *Bulla Pii V. 58.*

Impugnantes in conclusionibus, vel disputationibus Montes Pietatis, *Bulla Leonis X. 11.*

Contra Religiosos.

Non adimplentes disposita in Bulla Alexandri VII. 153. in visitatione Monasteriorum Monialium, eorum regimini subjectorum, Exeutes de claustris, & audientes Leges aut Physicam, id est, medicinam *cap. non magno opere 3. cap. ult. no Clerici, vel Monachi &c. cap. ut periculosa 2. eod. tit. in 6.*

Instituentes novum Ordinem, seu Religionem aut domum, vel locum acquirentes sine licentia Sedis Apostolicæ *cap. unico de Relig. domib. in 6.*

Professos, temerè habitum dimittentes, *d. cap. ut periculosa 2. no Cler. vel Monachi in 6.*

Appropriantes sibi, vel usurpantes decimas, Ecclesiis debitas, seu non permittentes, vel prohibentes illas solvi. *Clem. Religiosi 1. de Decimis.*

Adeutes Curias Principum, ut suis Prælatiis aut Monasteriis damnum inferant. *Clem. Ne in agro 1. de Stat. Monachor. §. quia verò.*

Tenentes arma intra claustra sine licentia Abbatum suorum. *d. Clem. & §.*

Professos matrimonium contrahentes, *Clem. unic. de Consang.*

Mendicantes, recipientes novas domos, & receptas alienantes, vel auditores in sermonibus suis à solutione decimarum retrahentes. *Clem. cupientes 3. de Pen.*

Non servantes interdictum, sive à Papa, sive ab ordinario positum, quando observatur à Cathedrali, seu Parochiali loci Ecclesiæ. *Clem. ex frequentibus 1. de Sents. excomm.*

Minores, transeuntes ad Capucinos, & hos, illos recipientes absque licentia Sedis Apostolicæ, aut Generalis ordinis, *Bulla Sixti V. 20.*

Contra Episcopos, & Nuntios.

Discedentes à residentia, & venientes ad urbem clanculò, & recedentes sine licentia Papæ. *Extravag. 2. & 3. de Major. & obediens. inter commun.*

Nuntios Apostolicos, destinatos ad Principes, & favores ab illis procurantes ad obtinendas dignitates. *Bulla Pii IV. 96.*

Contra Dominos temporales.

Prohibentes subditis, nequidquam vendant Ecclesiasticis, aut emant aliquid ab eisdem, neque eis bladum molant, coquant panem, *Gg*